



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

Lugduni, 1652-1663

Sectio I. De Sponsalibus receptiones sine lite Sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80577)



R. P. ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA,
VALLISOLETANI,
Societatis I E S V,
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ
MORALIS
Liber Vigessimus Quartus.

SPONSALIA.

ICET Sponsalia ordine doctrina subsequantur Matrimonium, cum ad illud ordinentur tanquam in finem, & à fine ordine doctrina inchoandum sit in moralibus: quia tamen ordine temporis Sponsalia Matrimonium precedunt, de his prætito tractationem. Quæ quidem omnia ad sponsalium pertinentia exponent, & quasdam ob causas discutiantur, enuntiabunt.

SECTIO PRIMA.

De Sponsalibus receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De conditionibus requisitis ad
Sponsalia.

Sponsalia dicuntur ab spondendo; mos enim erat olim, vt puella nuptura promitteretur viro à patre, vel à tutore, vel ab
Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. III. P. II.

amicis, ideòque dicti sunt sponsi quasi alteri promissi: sponzor, qui promittebat; & cōtractos ipse, sponsalia. leg. 2. c. 3. ff. de sponsal. Tripliciter autem sumuntur. Primò per promissionem futuri Matrimonij. Secundò pro matrimonio non adhuc consummato. Tertio pro donis, quæ dabantur à sponso sponsæ. At prima acceptio est maxime propria. Vnde in legibus quoties de spōsis occurrit mēcio, sumuntur primo modo,
A quan

2 Theologiae Moralis Lib. XXIV.

quamvis in materia fauorabili etiam nomine uxoris, & maritatus veniunt spōs. *Leg. Non sine C. de bon. qualib. Syluest. x. sponsalia q. 1. dicto 2.*

2
Quidnam sponsalia

Igitur sponsalia sunt promissio futura nuptiarum. Dixi Promissio, quia solum propositum non inducit obligationem, nec vinculum sponsalium, quae, ut valida sint, tria requiruntur. Primo, ut sint promissio futuri Matrimonij. Secundo, ut sint inter personas iure habiles. Tercio, ut manifestentur verbis, vel signis. Dicuntur autem a D. Thoma Sacramentalia, non quod habeant aliquam vim sanctificandi Matrimonio praeniam, sed quod sint praeniam ipsi Sacramento Matrimonij. Filliuc. *tratt. 10. num. 232.*

3
Concubitus cum sponsa non est adulterium

Quia non violatur alicuius thorus, qui sponsis ante Matrimonium non conceditur: adulterium autem est alieni thori violatio. *Cap. lex iila 36. quest. 1. D. Tho. 2. 2. quest. 1. § 4. art. 8.*

4
Requiritur externa promissio.

Non sufficit ad sponsalium validitatem interna promissio. Quia modus connaturalis inter homines ad se invicem obligandum, est per verba externa. Nec etiam promissio Deo facta tenet. Quia non est mellioris boni. Si autem vestiatur aliquibus circumstantiis, ut quia voueat quis in remedium concupiscentiae, vel in Dei honorem quod pauper illa sit vel meretrix: valet. Sanchez *d. 3. § 4.*

5
Promissio habet debet esse mutua.

Requiritur mutua promissio, ad quam non satis est acceptatio promissionis alterius: sed necessaria est repromissio. Et quidem quando Matrimonij promissio gratis fit, verbi gratia, in beneficii accepti memoriam; tunc altero acceptante promissionem, nec repromittente: solus promittens obligatur. Quod si diu distulerit repromissionem, censetur contemnere, & ita qui promissit, liber ex tacita remissione manebit. Quando vero non est facta gratis, sed respectu, per modum contractus onerosi, tunc necessaria est repromissio alterius ad hoc ut sit efficax. Quia in contractu vltro citroque obligatorio non est perfectus contractus, sine vtriusque partis obligatione. Sanchez *d. 5.*

6
Obligat promissio acceptata ex iustitia.

Promissio Matrimonij acceptata ab altero suo ex genere, obligat ex iustitia, & sub peccato mortali. Quia habet rationem pacti: pactum autem non seruans potest excommunicari. *Cap. 1. de pactis.* Intellige modum promittens animum ad se obligandum habuerit, siue causa expressa sit siue non; expressio enim causa requiritur iure, ne praesumatur facta ioco, & absque animo. Item nisi res esset notabiliter mutata, & nisi paruitas materiae excusaret, quae debet esse quadruplo maior ea, quae satis est ad futurum. Sanchez *d. 5.*

7
Facta absenti est ante acceptionem reuocabilis.

Promissio gratuita Matrimonij facta absenti, nulloque eam, acceptante, est reuocabilis in vtroque foro ante acceptionem, etiam si fiat ex causa pia, modo non feratur immediate in Deum. Ut autem sit irrevocabilis, opus est, ut absenti intimetur per nuntium ad id, vel per Epistolam, & absens coram nuntio acceptet. Quod si aliquis acceptet pro absente, tunc si est gratuita, & fiat per verba directa in presentem, ut promitto tibi me contrahendum cum Antonia, non potest promittens retrocedere si vero est respectiva, & praesens non habet speciale mandatum ad repromittendum, potest ante absantis repromissionem reuocari. Quod quibus

modis fieri possit, vide apud Sanchez *d. 7. q. ult.*

8
Promittens promissionem legitimam.

Promissionis legitimae conditiones expono. Requiritur ex parte intellectus sufficiens deliberatio, ea scilicet, quae satis esset ad peccatum mortale. Præterea ut sit subiectum capax, hoc est, non sit a natura necessariis sensibus destitutus. Denique ut habeat usum rationis; furiosi enim & mente capti, si non habeant dilucida intervalia, non sunt habiles ad contrahendum. Filliuc. *tr. 10. n. 238.*

9
Promittens potest se habere multis modis, scilicet se obligandi, non tam implendi: & tunc sufficit, & obligatur ad sponsalia. Quia mala illa intentio non implendi, non eximit ab obligatione, quae naturaliter sequitur ex ipsa promissione facta animo se obligandi. Secundo, habens saltem implicitè animum se obligandi, quia dum promissit, erat conscius naturae promissionis, licet non meminerit: & tunc vera erunt sponsalia. Quia cum non apponat explicite intentionem contrariam, indirectè se obligare censetur. Tercio potest tempore, quo data est fides habuisse animum se obligandi: sed statim fide data promittens habuit animum se non obligandi: & tunc etiam valida sunt. Quia iam obligatio orta est ex promissione. Quarto potest nec explicite nec implicitè promittens habuisse animum se obligandi, sed neque habuit contrarium, quia scilicet ignorabat naturam promissionis, & obligationem ex ea consurgentem: & invalida erunt sponsalia. Quia adeo voluntarie defectus. Quinto, quando promittens habuit animum promittendi, sed simul animum positiuè se non obligandi, quae est ficta quædam promissio: ex vi promissionis non obligatur ad sponsalia. Quia conditio apposta est contraria substantiae promissionis. Quod valet etiam si addatur iuramentum. Sanchez *d. 8. dub. 2.* Ex vitæ iniuria illata fide promittendo. Si quidem promissio facta est merè gratis, ex altera videlicet tantum parte, ut viri: ad nihil vltra promittens tenebitur, si nullum aliud damnum feminae redundet, si vero per modum contractus, ex vtraque parte scilicet: tunc si ratione fidei promissionis femina deflorata est, tenebitur eam ducere sub mortali. Quia cum alter ex parte sit contractum impleverit, tenebitur & alter implere. Sanchez *dist. 10.*

10
Varios modos contrahendi sponsalia verbis expressis recolo. Verba quoad significationem de futuro constituunt sponsalia, siue simpliciter proferantur, ut *Ducam te*, siue addatur verbum *promitto* ut *Promitto expulsum me ducendum te*. Quia semper communi ex sensu Ecclesiae sumuntur ut promissoria. Sotus *2. 2. quest. 2. art. 1.* Syluest. *verb. sponsalia*, initio, & alij cum eo. Verba autem illa, *Promitto me desponsaturum Mariam*, non sunt sponsalia, sed tantum de sponsalibus promissio. Covar. *de Matrimon. part. 1. capit. 4. numer. 1.* Verbum hoc: *Accipio te in crastinum*, sponsalia constituunt. Quia consensus est de futuro. Victor. *de Matrimo. 251.* Petr. Ledes. *quest. 43. d. 3. dub. 1.* Verbum hoc: *Nolo te habere in uxorem*, sponsalia solummodo constituunt. Quia verificatur, si licet proferens modo nolit esse suam uxorem, sed tempore futuro. Covar. *citatus num. 4.* Verba

Seet. I. De Sponsalibus Recep. Sentent. 3

ba autem negatiua. Nullam aliam à te ducam, si nullam includant affirmationem explicite vel implicite, nec sponsalia, nec Matrimonium constituunt. Quia consensus non datur per meram negationem, obligant tamen, supposito quod velit nubere, ad eam ducenda, si verò addatur affirmatio, erunt sponsalia, vel Matrimonium, sponsalia si dicatur: *Non aliam, sed te ducam*, Matrimonium si dicatur: *Non aliam, sed te ducam*. Couar. numer. 8. Adrian. de Matr. questio. 2. dub. 12. Sanchez d. 19. Filliuc. tract. 10. numer. 240.

Quæritur, an verba de presenti inter puberes vel impuberes apta ad Matrimonium clandestinum, sufficiant ad sponsalia? Certe inter puberes probabile mihi est, sufficere, ex *Cap. unico, de des. impub. in 6. ubi habetur*, Matrimonium impuberum obligare ut sponsalia: ut scilicet actus qui non valet eo modo, quo gestus est, valeat eo modo, quo geri poterat. Ergo à pri. confirmo ex Declaratione Cardinalium, quæ refertur ab Henric. d. 1. c. 9. m. 4. At inter impuberes, vel vnum puberem, alterum impuberem habent eodem modo vim sponsalium. Quia ex contrahentium intentione, qui videtur voluisse contrahere sponsalia, casu quod Matrimonium non valeret, aperte colligitur. Quando autem actus includitur in eo quod fit, si non valet eo pacto, quo fit valet meliori modo, quo potest: sponsalia autem virtute clauduntur in Matrimonio. *Cap. fin. de des. impub.*

Profecto signa aliqua suppletia verborum vices, quæ ad sponsalia constituenda sufficere videantur. In primis subarratio annuli ex se loquendo est signum æquiuocum ex aliis causis, ut amore turpi. Si tamen consuetudo loci sit, ut annuli traditio sponsalia significet, præsumendum iuxta loci consuetudinem. Angel. *de sponsalia, n. 7. Syluest. ibi, q. 1. Armil. n. 3.* Certe si verba vnus præcesserint, tunc immixtio annuli & verbum *recipiam* operatur sponsalia. Quia tacens consentit facto ipso cum annulū recipit. *Glossa Cap. 1. de sponsal. v. verba.* Item quando habito tractatu inter amicos de Matrimonio contrahendo, sponsus misit arrhas, vel focalia, nil aliud exprimens, & sponsa acceptauit, sponsalia. Quia id est sufficiens reprobationis signum: & tacens videtur consentire. Abbas *Cap. Cum virum, de regul. n. 3. Syluest. v. sponsalia initio.* Sanchez d. 22. Præsentia & taciturnitas contrahentium, quando parentes contrahunt pro filiis satis etiam est, modo contrahentes saltem inter se consentiant. *Cap. unico de des. impub. in 6.* Quia cum parentes diligant filios, præsumitur, recte eos filiis consulere: & quæ præsentia & taciturnitas filiorum iure optimo consensus reputatur. At si parentes contrahant pro filiis absentibus, non satis est, ut quando id nouerint, taceant, & non reclamant: sed debent etiam tacite vel expresse ratificare aliquo signo externo, ut ex *Cap. vni. citato* colligatur.

Verba promissionis, ut constituent sponsalia debent necessario fieri in personam determinatam. Quia sicut Matrimonium debet esse cum persona certa, ita etiam sponsalia, quæ sunt eius initium. Sanchez d. 26. numer. 1. citans alios.

Sponsalia facta post prima facta, valida sunt. Quia promissio secunda non tollitur per priorē. *Scob. & Mond. Theol. Moral. Tom. III. P. II.*

rem fictam. Syluest. *verb. Matrimonium*. 4. *facta valida quest. 8. Nauar. cap. 22. numer. 79. Sanchez d. 15. sunt.* num. 1. Fictæ contrahens sponsalia, regulariter tenetur verè consentire. Quia vtrinque est contractus *Do, ut des*: & alter iam impleuit promittendo per vera sponsalia. Deinde semper sequitur notabile damnum alteri, ut foemina præcipue, quare alteri non facile poterit nubere. Syluest. & Nauar. citati. Henric. d. 1. c. 11. numer. 3. si tamen nullum damnum ex his sequatur, probabile satis iudico, non teneri ad verè consentiendum. Sanchez d. 11. numer. 1.

Sponsalia clandestina valida sunt, etiam post Tridentinum. Quia lex Tridentini est correctiua iuris communis, ideoque non est extendenda ultra casum expressum. *Leg. Præpost. Tridentinum, Cod. de appellat.* Ergo cum solum irritum sit Matrimonium clandestinum, non erit extendenda ad sponsalia. Nauar. *cap. 23. numer. 144 Cordu. sum. quest. 52. Henric. c. de Matr. numer. 8. Sanchez d. 12. numer. 2.* Peccatum non est contrahere sponsalia clandestina. Quia nullo iure id prohibetur. Sanchez d. 13.

Notabilis disparitas contrahentium, si contrahens sit consensu conditionis alterius non reddit irrita sponsalia. Quia cum contrahens sit dominus rei promissæ, & excessus videtur velle cedere libere iuri suo, & facere excessus donationem. Limbo autem id in casu magni scandali secuturi: tunc enim virtus iustitiæ non obligaret ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Molina *ira. 2. d. 271. Cordu. lib. 1. qq. mor. numer. 13. dict. 1. & alij apud Sanch. d. 14.*

Habiles sunt ad incedenda sponsalia ij, inter quos nullum est impedimentum, & habent ætatem iure præscriptam. Vnde ij soli sunt habiles ad sponsalia, qui soli sunt habiles ad Matrimonium. Quia sponsalia sunt futuri Matrimonij promissio. Impedimentum autem, quod non dirimit Matrimonium dirimit sponsalia, si hæc precedat, ut vbi simplex castitas, vel Religionis. Quia cum sit illicitum contrahere cum tali impedimento, sponsalia non possunt ad aliquid illicitum obligare. Excipe, nisi impedimentum esset temporale verbi gratia ætas in impuberibus. Valent enim inter eos sponsalia, non Matrimonium, vel votum castitatis ad tempuslicerent enim sponsalia, non Matrimonium pro eo tempore, quo est impedimentum. Nauar. & alij cum Sanch. d. 15.

Requiritur autem septennium completum ad sponsaliorum validitatem ex *Cap. literis, & Cap. Accessit, de des. impuber.* Quia septennio completo incipit communiter rationis vsus, & libertas. Quod si vel vterque vel alter nondum haberent vsum rationis, essent irrita sponsalia. Sicut etiam si ante septennium vterque, vel alter contrahat, nec malitia suppleat ætatem, sunt irrita, nisi post legitimam ætatem expresse, vel tacite ratificentur. *Cap. vni. de des. impuber. in 6. Sylue. v. Matrimonium 8. questio. 14. & alij cum Sanchez d. 16.*

Verum malitia potest ætatem supplere, & sponsalia valida efficere, quæ esset alioqui invalida. Quia *leg. In sponsalibus 1. ff. de spons. dicitur*, satis esse, sponso quid agat, intelligere. Et quia sponsalia sunt via ad Matrimonium: Ergo hoc ipso, quod ius disponit, malitiā supplere ætatem in Matrimo

COBAR
eod. Mor.
II. IV.
IV.

11
Sponsalia ad
Matrimonium
constituunt

12
Sponsalia ad
Matrimonium
constituunt

13
Verba promissionis
ad sponsalia
constituunt

14
Sponsalia facta
post prima
facta, valida sunt

15
Valida sunt
sponsalia clandestina etiam
post Tridentinum

16
Notabilis disparitas
contrahentium, si
contrahens sit consensu
conditionis alterius non
reddit irrita sponsalia

17
Soli ij sunt
habiles ad
sponsalia, qui
soli sunt habiles
ad Matrimonium

18
Requiritur
septennium completum
ad sponsaliorum
validitatem

19
Malitia supplet
ætatem

4 Theologia Moralis Lib. XXIV.

Matrimonio censetur disposuisse idem in sponsalibus. Sotus in 4. dist. 2. q. 2. a. 2. ad Syluest. v. sponsalia q. 2. Sanch. d. 16. q. 2.



CAPVT II.

De Sponsalium obligatione. Vbi de Arris, Fideiussore, & Pacto.

20
Oritur ex sponsalibus obligatio sub mortali.

Conditionibus sponsalium expositis, agendum mihi de eorum obligatione siue quae oritur ab intrinseco ratione precepti praescribentis fidei, siue ab extrinseco ratione coactionis iudicialis, vel conuentionalis. Oritur ergo ex sponsalibus obligatio sub mortali. Quia Cap. Literis 2. & Cap. Requisitum, de sponsal. supponitur sponsalia obligare ad sui impletionem, & cum materia grauis sit, obligat sub lethali. Et quia obligatio ex contractu est ex iustitia & sub mortali: talis autem est obligatio ex sponsalibus. Sotus in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. Angel. verb. sponsalia, n. 21. Syluest. ibi. q. 4. Sanch. d. 27.

21
Si terminus praefixus non est, non tenetur illico sponsalia implere.

Si nullus sit praefixus obligationi terminus, nec alia conditio, non tenetur, qui promissit sponsalia, illa statim implere, sed tunc quando requiritur ab eo cui facta est promissio: tunc autem obligatur, si commode potest. Quia id est generale in omni debito absque diei praefixione. Abbas Cap. fin. de praescript. n. 29. Syluest. v. Forum 2. q. 1. Nauar. c. 17. n. 79. Sanch. d. 18.

22
Quid agendum cum eo qui recusat implere sponsalia.

[Qui absque causa legitima recusat sponsalium fidem implere, prius monendus est, & si tenetur, cogendus per Censuram a Iudice Ecclesiastico: nisi attentis circumstantiis, prudenter arbitretur Iudex, ex inuitis Nuptiis posse timeri scandala, dissensiones, ac infelices exitus. Colligo ex Cap. Ex literis 2. de sponsal. Quod si cap. Requisitum, de sponsal. dicitur, non esse cogendum, intellexerim, quando rationabilis causa obstituerit. Glof. Cap. 2. de sponsal. v. Impositione. Abbas n. 4. Felin. n. 14. Syluest. v. sponsalia, q. 14. & alij.

23
Poena addita sponsalibus irrita est.

Poena adiecta contractui sponsalium est irrita, ideoque is, qui sponsalia violat in utroque foro non tenetur ea soluere. Quia sic consultatur Matrimonij libertati. Definuntur Cap. Gemma, de sponsal. & Leg. Tertia, ff. de verborum obligat. Syluest. v. sponsalia, q. 8. & alij cum Sanch. d. 30. Quod si alterius sponsorum interfit, vel dampnum patiat, poterit poena exigi ratione interesse damni emergentis, & ratione iniustitiae admittae a violante fidem: non vi poenae adiectae, si item illa soluitur, recipiens non tenetur restituere, donec iuridice coactus, ad restitutionem condemnatur. Plura Sanch. d. 31.

24
Etiam si iurata sit.

Si poena adiecta iuramenti firmetur, non propterea addit obligationem. Quia poenae promissio est interdicta ob publicam vitilitatem, nempe ob libertatem Matrimonij ex Cap. Gemma, citato. Actus autem principaliter prohibitus in fauorem publicum, non firmatur iuramento, Cap. si diligenti, de foro compet. cap. 2. de pact. in 6. Plura Sanch. d. 31. n. 8. & d. 33. & 34. vbi de variis poenae appositionibus.

25
Non est culpa lethalis, sponsalia ante aetatem

Si sponsalia ante legitimam celebretur etatem, non est propterea culpa mortalis. Quia Cap. 2. de despons. impuber. vbi videtur esse preceptum, intelligitur tantum de Matrimonio: & pa-

tet ex verbo. Coniungantur, quod solummodo legitimam Matrimonio de praesenti conuenit. Et quia nulla infertur tertiae personae iniuria, nec Samento. Filliuc. tr. 10. n. 259.

Iam de Arris apponi solitis in sponsalibus differam praemittendo, arras sumi primò pro donatione, quam vir facit uxori in praemium sigificationis. Tercio pro pignore, quod datur inter sponsos in signum Matrimonij complendi: & hoc in sensu sumitur in praesenti.

Licetum est arras apponere amittendas per sponsalium fidei violationem. Leg. Arris l. fin. Cod. de sponsal. Arra traditur in securitatem Matrimonij, poena ut adstringat contrahentes: quare illa respicit actum fauorabilem, haec autem odiosum: ideo illa valet, non poena. Hinc est, ut arras tradendae sint, ut valeant. Quia leges semper de arras loquuntur. leg. fin. Cod. de sponsal. Angel. verb. sponsalia, n. m. 4. Syluest. ibi. q. 9. & alij, quos sequitur Sanch. d. 35.

Possunt constitui arras in quacumque quantitate. Quia leges quae eas permittunt, indistinctè loquuntur, & respiciunt ad ea, quae frequentius accidunt: frequentius autem modica sunt. Hostiens. sum. tit. de sponsal. §. 1. n. 2. Coar. de Matrim. p. 1. c. 3. §. 7. n. 9. & alij cum Sanch. d. 35. n. 9. Erit autem proba cautela tradere magnas pro securitate. Item possunt arras constitui tam in rebus immobilibus, ut fundo: quam in pecunia, & possunt utrinque tradi, ut Doctores citati edocent.

Arrarum natura haec est, ut eas amittat, qui tradit si culpa sua Matrimonium non sequatur: quod autem secuto, redeunt ad eum, qui tradidit. leg. fin. Cod. de sponsal. Syluest. v. sponsalia, q. 9. Ang. l. hic. n. 17. Quod si quis citra culpam recedat, non amittit, sed ipsimet sunt restituendae. Quia ubi culpa abest, debet abesse poena. leg. Arris & l. fin. Cod. eodem. Et in specie ob ingressum in Religionem non amittuntur, l. Deo nobis. C. de Episcopis & clericis. & communi Doctorum sensu ex Sanch. d. 36. Quando autem alter tantum dedit arras, & Matrimonium non sequitur, culpa eius, qui non dedit, tenetur duplum restituere, hoc est, ipsas arras receptas, & tantumdem de suo patrimonio. Excipe, nisi sit minor 25 annis, non impetrauit veniam etatis, tunc enim tantum tenetur arras restituere, si per ipsam stetit. l. fin. Cod. de sponsal. Innoc. c. Gima. Ioa. Andre. n. 8. Quando demum uterque arras dedit, & recepit, iniussè recedens, perdit suas, & restituit quas accepit. Plura Sanch. d. 36.

Poena legalis Dupli non debetur ante sententiam Iudicis. Quia est poena lege imposita, quae secundum omnes postulat Iudicis sententiam: sed tenetur solum restituere arras receptas: id enim est conditio annexa naturae contractus. Syluest. v. Arra, q. 4. Lopez p. 1. Instr. c. 56. Poena autem conuentionalis quadrupli ex receptiori sententia non debetur ante Iudicis sententiam. Quia talis est contrahentium intentio, nisi aliud exprimat: est enim imponere poenam iuxta ius commune: hoc autem non imponit nisi per sententiam. Lopez l. 1. de contract. c. 31. Nauar. c. 23. n. 67. Filliuc. tr. 10. n. 268. Sanch. d. 37. n. 4.

Possunt quidem alia pacta in sponsalibus intervenire. Potest enim pro securitate Matrimonij intervenire Fideiussor. Quia nullo id iure prohibetur. Hostiens. sum. tit. de sponsal. §. 1. n. 2. & alij

Seet. I. De Sponsalibus Recep Sentent. 5

alij. Pignus autem si præcedat, stipulatio pœ-
na non valet. Quia cum principale, id est pœ-
na, non valet: corruet etiam accessorium. Si
verò præcedat stipulatio arratum, valet. Quia
arræ ipse valet. Sanch. d. 58.

Secundum pactum est, vt vir teneatur in
certo Oppido moram trahere cum vxore, et si
quidem frangens aliud migret, teneatur vxor eum
sequi, & valeat pœna imposita frangenti fidem.
Queritur, num valeat hoc pactum? Valet qui-
dem. Quia vt quis in traditione rei suæ potest
quodlibet pactum interponere. Et multo ma-
gis in sui traditione. Cap. *Et cum de condit. ap-
pelli. Et l. i. c. de pælli.* Si autem noua causa re-
cedendi superuenerit, vt quia cœlum est mi-
nus salubre, vel quia contraxit capitales ini-
micitias: excusabitur, si absq; causa vir domi-
cium mutet, vxor non teneatur eum comita-
ri. Quia in tali casu lex diuina non obligat.
Angel. Syluest. Acmil. Nauar. & alij, quos re-
feri, & sequitur Sanch. d. 40.

Cessante verò pacto, si vir transferat aliò
domicilium, vxor teneatur sequi verum. Cap.
Quæque 1. q. 1. Quia coniuges tenentur ad
mutuum obsequium, & vir est caput mulieris.
Ni faciat, peccat mortaliter. Nauar. c. 14. n. 70.
Sanch. d. 41. si sequatur ex hoc graue detri-
mentum corporis, vel animæ, excusabitur.
Nec requiritur in viro causa iusta, domicilium
mutandi: sed satis est non adesse causam tur-
pem, & inhonestam. Quia est caput Filliuc.
tr. 10. n. 270.

Si vir velit vagari, quod tempore contractus
Matrimonij non solebat: vel si solebat, id vxor
ignorauit: non teneatur eum sequi. Quia est
grauissimum onus, nisi iuste vagari vellet, vel
facile posset vxor eum comitari. Aut sole-
bat, & vxor sciebat: tunc teneatur. Quia sciens
vita mariti mores approbare, modo tamen
vir ex honesta causa vagetur. Præterea si vir
aliò se transferat causa ibi commorandi ad
tempus, & eo transacto, reuertendi: si tempus
breue sit, non tenebitur vxor sequi: si longum,
tenebitur. Eodem que modo si vir in exilium
mittatur ob delictum, tenebitur vxor eum se-
qui. Quia vxor debet sequi viri infortunium.
l. cum de iuss. sol. marit. Denique quando
vxor ex causa necessaria à domicilio recedit, &
illud aliò transfertur: tenetur etiam vir ipsam se-
qui. Quia quoad mutua bſequia oconiugalia
sunt pares. Glof. Cap. 1. de coniu. lepro. ibi Do-
ctores: & Sanch. d. 41.

CAPVT III.

De Sponsalium dissolutione.

ARTIS modis possunt sponsalia
dissolui. Primò per Matrimonium
subsequens validè celebratum cum
alia persona. Quia res tradita vni per
contractum indissolubilem, non potest am-
plius tradi, alteri, cui tantum modo est promissa:
si verò Matrimonium subsequens inuali-
dum sit priora sponsalia non dissoluantur. Quia
non præstat impedimentum, quod de iure ef-
fectum non fortitur. Manet tamen alter liber
Escol. & Menz. Theol. Moral. Tom. III. P. II.

à fide sponsalium. Quia per eam voluntatem
contrahendi Matrimonium visus est alter ab
sponsalibus recessisse. Cap. 1. *Inter virum, &
Cap. Adolefcent, de sponsal. Sanch. lib. 1. d. 48.
Laym. l. 5. tr. 6. p. 1. c. 2. Syluest. suppl. q. 43.
d. 1. Diana p. 3. tr. 4. resol. 109.*

Dissoluto Matrimonio subsequente, nõ ma-
net obligatio implendi priora sponsalia iura-
ta, nisi forè ratione damni, v. gr. si deflorauit
sponsam bonæ famæ: nec illi antea satisfecit.
Quia iuramentum adhiberè fuit ad confirmandam
promissionem: unde extincta promissione, cessa-
bit etiã iuramentum obligatio. Sanch. d. 48. Hériq.
l. 1. c. 13. Filliuc. tr. 10. n. 272. sect. 2. quæstio
problematicè voluenda recurret.

Priora sponsalia nõ soluuntur per secunda etiã
copula subsecuta. Quia post Tridentinum non
transiunt in Matrimonium etiã affectu matri-
moniali copula fiat: & hoc verum, quãvis poste-
riora sint iurata: iuramentum enim fuit de re
iniqua, & in tortij præiudicium, quo casu non
obligat. Sanch. d. 6. Filliuc. tr. 10. n. 273. & alij.

Secundo dissoluantur sponsalia mutuo consen-
su, & mutua ipsorum sponſorum remissione, etiã
si cum iuramento facta fuerint. Quia cū huius-
modi remissio cedat in sponſorum fauorẽ, po-
terunt hi cedere iuri suo: & cū iuramentum sit emis-
sum in fauorẽ partis, remittente parte, Deus etiã
remitit. Cap. 1. de sponsal. Sanch. d. 51. n. 8. Sa. v. spõ-
salia, n. 1. Filliuc. tr. 10. n. 275. Coninc. d. 23. dub. 1.

Validitatem verò huius remissionis, anno-
tarum primo; remissionẽ debere esse liberam:
vnde quando alter sponsus remittit obligatio-
nem ex metu sibi incusso ab altero contrahen-
te, sponsalia non dissoluantur. Secundo nota-
rim, si duo impueres sponsalia contrahant, neu-
trum posse ante pubertatem rescire, puberem
autẽ factum posse quẽlibet. Ratio prioris est,
ne propter ætatis fragilem inconstantiam sæpe
contrahant, totiesque à contracta resiliant.
Posterioris autem ratio est, quia quãvis iure
permittente impuberes verè sponsalibus astrin-
gantur, idẽ tamen ius vult ob immaturum iu-
diciũ, ne ita firma esset, quin eorũ cuilibet pu-
bertatẽ adeptõ, rescire liceret. Cap. *De illis dist.*
1. & Cap. *A nobis, de sponsal. in p. b.* Vnde prius
pubes factus potest statim ab sponsalibus re-
scire, non expectata alterius pubertate. Si au-
tem factus pubes, non reclamet statim, id est
intra triduum, in foro externo sponsalia confir-
mare censetur. At in foro conscientie satius
est eum reclamare ad tollendam obligationẽ,
qui interius statuto tempore dissentit, etsi id
exterior non exprimat.

Tertiò dissoluantur per fornicationem se-
quentem tam viri, quàm feminae, etiã si
sponsalia sint iurata: Idem iuris est in forni-
catione spiritali, vt hæresi, apostasia, vel
infidelitate. Quia est notabilis admodum
mutatio, Monuerim autem nocentem semper
adstrictum esse, & in casu quo vterque sit
nocens, non compensari delicta. Quia turpior
est fornicatio in femina, quàm viro: quod
verum est, licet sponsa vi cognita fuisset:
non sic si vir violenter in fornicationem in-
cidisset. Cap. *Quemadmodum, de iure iuran-*
do. Sanch. d. 55. num. 9. Syluest. verb. Sponsa-
lia, quæst. 10. Couar. tom. 1. de sponsal. p. 1. cap.
5. num. 1. Laym. lib. 4. tract. 10. part. 1. cap. 2. Re-
ginald. l. 3. c. 36. num. 262.

A 3

Quart

COBAR
eod Mon
m. II. IV.
E. IV.

⁴¹ Quartò solvuntur per morbum quemlibet contagiosum alteri sponso superuenientem, vt gallicum. Quia est notabilis mutatio. Idem dicendù de graui infirmitate incurabili, vt epilepsia, feccitate notabili, vt oculorum, vel na- si amissione, paralyti, lepra, vel si os male oleat: nec arte medici subueniri possit. Idem dixerim si notabilis deformitas animi, vel fama sequatur. Quae omnia intelligenda sunt ex parte illius, qui est innocens eo enim volente solvuntur sponsalia; secus si nolit. Sanchez d. 57. Navar. cap. 22. num. 27. Tolet. lib. 7. c. 21. num. 6. Diana par. 3. tra. 14. res. 1285. Sylui. in suppl. q. 43. a. 1.

⁴² Quintò solvuntur, quoties de nouo agnos- citur notabilis morum asperitas vel leuitas al- terius. Vel ob graues & capitales inicitias inter sponso ortas. Quia alioquin Matrimo- nium infelices haberet exitus. Et est noua causa notabilique superueniens mutatio. Sylueit. v. sponsalia. q. 10. Sanchez d. 58. Filliuc. tr. 10. n. 290. Tolet. l. 7. c. 11. n. 6.

⁴³ Sextò, solvuntur per superueniens impedi- mentum iuris Matrimonium dirimens: si autè impediens tantum sit, probabile est, non solui, votum Religionis si excipias, de quo infe- rius. Item solvuntur quando superuenit aliquid post sponsalia, quod si superueniret ante, mutaret rationabiliter sponso animos ad con- trahendum: vt. gr. ob paupertatem superuenien- tem alteri, tam quando praecessit promissio dotis respectu sponsae, quia tunc ea est veluti conditio, sub qua sponsalia celebrantur: quam etiam si non praecessisset. Sanchez d. 56. Filliuc. tr. 10. n. 292.

⁴⁴ Septimò sponsalia, dirimuntur per votum simplex Religionis, & castitatis praecedens. Propositum tamen coelibatus seruandi in sa- culo, nullatenus sponsalia dirimit. Quia tale propositum, si voto non firmitur, non consti- tuit statum; si verò votum castitatis sponsali- bus superueniat, quamvis probabile sit, ea dis- solvere; quia est de mediore bono: tamen recep- tori ex sententia non dissoluit; quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissae, & in eius praedictum. Vnde talis non tenetur ad Religionem aut ordinem. Sacrum ad hoc vt possit votum castitatis serua- re, licet possit ingredi si velit, & liber sit ab sponsalibus. Dixerim ergo, tale votum in ipsius praecedens praedictum, non tamen in praedi- ctum sponsae, obligare. Cap. Rursus, qui clerici. Sanchez d. 46. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. a. 5. Angel. v. sponsalia. n. 5. Navar. c. 22. n. 27. Reginald. l. 31. n. 259. Coninch. d. 23. n. 25. & alij.

⁴⁵ Ordines minores suscepti post sponsalia non dissoluant illa: maiores verò dissoluant. Quia reddunt suscipientem incapacem Matrimonij ob votum solemne castitatis adnexum. Adstri- to tamen fide sponsalium non licet ad Sacros Ordines promoueri, nec votum Ordinis Sacri illa dissoluant ex receptori sententia, nisi res- pectu alterius. Quia qui voverit censetur spon- salibus renunciare: vnde alter liber manet. Reginald. l. 31. num. 160. Filliuc. tr. 10. num. 287. Coninch. d. 23. num. 25.

⁴⁶ Octauò, solvuntur per ingressum Religionis etiam si iurata sponsalia fuerint. Potè licet res- pectu remanentis in saeculo soluta iam sint res- pectu ingredientis non solvuntur usque ad

professionem: vnde si ante illam redeat ad sa- culum prioribus sponsalibus stare tenetur si sponsa alteri non nupit. Sanchez d. 52. Filliuc. tr. 10. n. 280. Coninch. d. 23. dub. 3. n. 21.

⁴⁷ Nonò dissoluntur si tempore, quo sunt appo- nantur etiam dies & terminus de Matrimonio contrahendo. Quia tunc lapsus termini eximit ab obligatione illi, per quem non stetit. Alius verò per quem stetit, adhuc ligatur, ne sua culpa commodò reportet. At si per vtrūque stetit, liber manet vterque. Tamen si is, per quem stetit, culpa vacet, sponsalia non dissoluntur. Quod de dicendum, si absque culpa vtriusque terminus praefixus lapsus fuisset. Cap. Sicut ex literis de spsal. Sanc. d. 51. Conar. de Mari. p. 1. c. 5. n. 8. Tolet. l. 7. c. 21. c. Reginald. n. 61. 31. n. 265.

⁴⁸ Decimò solvuntur absentia alterius in lon- guinquam regionem absque licentia. Quando autem sponso esset in loco propinquo, ille ex- pectandus est, vel requirendus, vt intra certum tempus cōtrahat Matrimonium. Et si iusto im- pedimento detur, non sūt temere sponsalia di- rimenda. Ius autem Civile, quod praescribit, ex- pectandū esse biennij tempus, si est in eadē Pro- uincia: & triennij, si est in alia, iuxta receptio- rem sententiam correctam est per ius Canoni- cū, etiam si sponsalia sint iurata. Cap. De illis de spsal. Sanchez d. 54. Navar. c. 22. n. 26. Tolet. l. 7. c. 21. n. 6. Coninch. d. 23. n. 50.

⁴⁹ Vndecimò solvuntur, cum superuenit affi- nitas: vt si sponso habuerit re cum consangui- nea sponsae, vel è contra intra quartum gradu: & post Tridentinum intra secundum, cum co- gnatione legalis, vel spirituali superueniente. Navar. c. 22. n. 27. Hérig. de Marr. c. 14. n. 5. Filliuc. tr. 10. n. 295.

⁵⁰ Duodecimò, ipsi iure sponsalia irrita, & in- ualida doli dans causa contractui sponsaliorū adhibitis ab altero contrahente conficior & parti- cipe doli, si tamen doli solū incidat in spon- salia, non sunt ipso iure irrita. Quia adest suffi- ciens consensus ad contractum, similiter si do- lus adhibitus sit à tertia persona sine partici- patione alterius sponsi, sponsalia non sunt ipso facto irrita: sed deceptus habet ius illa dissolu- di. Quia adest talis causa seu mutatio, quam si deceptus prauidisset, iudicio prudentis non se ad illa perficienda obligasset. Sanchez d. 64. Filliuc. tr. 10. n. 297. Molina d. 52. n. 7. Reginald. l. 31. n. 266. Diana p. 1. de Sacram. res. 1287.

⁵¹ Decimotertio possunt solui sponsalia, quan- do non implentur conditiones, sub quibus ce- lebrata fuere. Imò non sunt valida, nec obligat donec impleatur conditio expressa in contractu. Quādo verò sponsalia nō fuere celebrata sub aliqua conditioe expressa, sed tantummodò sub tacita: valida sunt absolute, & non censentur proprie conditionalia. Quia conditio tacite sub- intellecta non reddit actum conditionalem. Coninch d. 23. dub. 9. ad fin. Bonac. de Matrim. q. 1. p. 10. n. 4. Sanchez d. 67. n. 3.

CAPVT IV.

Quanam auctoritate sint sponsalia dissoluentia.

⁵² Iam verò ad dissoluenda sponsalia, si natura rei spectetur, nulla requiritur. Adicis auctoritas quando

Sectio II. Dubia de Sponsalibus. 7

ad quando certo constat de causa sufficiente ad eorum solutionem. Vnde non est opus relaxatione iuramenti. Per accidens tamen, ut ratione scandalit vitandi, fieri potest, ut necessaria sit Iudicis autoritas. Sa verb. *Sponsalia*, num. 12. Sanch. d. 69. Gutier. cap. 35. num. 4. Filliuc. tract. 10. num. 299.

Propria autoritate dissolui possunt Sponsalia. Vel quando causa dissolutionis est publica. Vel quando causa est occulta, & simul etiam sunt occulta Sponsalia. Vel quando Sponsalia sunt publica, sed causa dissolutionis ita est occulta, ut probari non possit in iudicio, nisi magnum scandalum inde timeatur. Henricus, lib. 1. cap. 14. Sanch. d. 69. & 70.

Index quo coram dissoluenda sunt Sponsalia, quando ad eorum solutionem Iudicis requiritur autoritas: est Index Ecclesiasticus Ordinarius, vel delegatus, ut Episcopus, vel delegatus ab ipso Episcopo. Parochus vero non

est competens. Quia ipse non habet in foro externo iurisdictionem. Sanch. d. 69. num. 10. Reginald. lib. 3. num. 168. Filliuc. tractat. 10. num. 299.

Quando dubitatur, num causa dissoluedi Sponsalia sit sufficiens: aut quando moraliter non constat, adesse causam sufficientem ad illa dissoluenda: non possunt absque Iudicis autoritate dissolui. Quia dissolvens propria autoritate in hoc casu exponeret se periculo committendi iniustitiam contra alterum sponsum, qui non debet iure sibi acquisito per Sponsalia spoliar. Gutier. cap. 35. num. 7. Reginald. lib. 3. num. 168. Sanch. d. 69. num. 9.

Tamen ut quis licite possit recedere ab Sponsalibus in foro conscientie, satis est, ut unus testis de certa scientia iurans, vel fama: imò si esset persona fide digna testificans, & de certa scientia testaretur, nec esset necessarium iuramentum. Filliuc. tr. 10. n. 301. Sanch. d. 69. n. 9.

55
Quis agendum in dubio de causa sufficiente?

56
Quando possit quis in foro conscientie ab Sponsalibus recedere.

SECTIO SECVNDA

De Sponsalibus, varia Dubia.

CAPVT V.

Circà Sponsalium Obligationem.

DVBIVM I.

An violatio iuris, quod ex Sponsalibus acquiritur sponsi in corpus, fornicando cum altero, sit adulterium.

17
H. adulterium.

ADULTERIUM est. Quia l. se. uxor. 1. §. ff. ad leg. Jul. de adulter. dicitur: Dinnus Vetus, & Antoninus responderunt etiam in Sponsam hoc ipsum vindicandum, (id est adulterium) quia nec Matrimonium qualecunque, neque spem Matrimonij violari permittitur. Vbi de Sponsalibus de futuro est sermo; nam de presenti non spes Matrimonij, sed Matrimonium ipsum dicitur. Sic Gloss. ad cap. Quemadmodum, verb. Sponsam, de iureiur. Abbas Cap. Discretionem, num. 4. de eo qui cognovit consanguineam, & ibi Alexan. de Nevo, num. 11. Gregor Lopez l. 1. verb. Odesposada, titul. 17. part. 7. Sarmiento l. 1. select. cap. 5. num. 1. & ex Theologis Palud. in 4. dist. 27. question. 1. art. 3. num. 17.

Non est adulterium. Quia ex Gelasio cap. lex illa 36. qu. 1. & D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 8. in corp. Adulterium est alieni tori violatio, sed accedens ad Sponsam de futuro minimè torum violat alienum, cum hic ante matrimonium de presenti non concedatur sponsis: ergo adulterium non admittit. Ità Henricus, lib. 1. de Matrimon. cap. 13. num. 4. Viuald. part. 1. de spons.

num. 9. Ludovic. Lopez part. 1. cap. 29. & part. 2. de Matrimon. cap. 36. Manu. tom. 1. sum. cap. 53. num. 5. Sanch. lib. 1. d. 2. num. 22.

Idem assero existimans in lege illa pro prima parte adducta concedi vindictam sponso, non ratione adulterij, sed quia est atrox iniuria sibi illata.

59
Idem assero.

DVBIVM II.

An circumstantia Sponsalium in fornicatione sit Confessario aperienda,

ESTO circumstantia Sponsalium adulterium non constituat, est tamen in Confessione explicanda tam ex parte sponsæ de futuro, si cum alio fornicetur, quam ex parte sponsi, si ad aliam accedat. Quia est duplex malitia, altera fornicationis, altera violatorum ac fractorum sponsalium, ob id enim dirimi possunt. Cap. Quemadmodum, de iureiur. Sic Sarmiento lib. 1. select. cap. 5. num. 1. Ludon. Lopez part. 1. cap. 29. Petr. de Ledes. de Matrimon. qu. 43. art. 1. dub. ult.

60
Est necessarium aperienda.

Non est necessarium explicanda, nec ex parte sponsæ, nec sponsi. Quia solæ circumstantiæ mutantes speciem sunt necessarium confitenda, hæc autem non mutat speciem, cum non sit adulterium. Ità Covar. 4. Decretal. part. 1. c. 1. num. 14. Viuald. part. 1. de sponsal. num. 10. Ledesma qu. 43. art. 1. dub. ultim. ait hanc sententiam esse probabilem.

61
Aperienda necessarium non est.

Utramque sententiam sustineri posse probabiliter puto, ego autem crediderim cum Thoma Sanchez lib. 1. d. 2. num. 6. eam sponsalium circumstantiam necessarium esse in Confessione aperiendam quando se tenet ex parte femine.

62
Audiens sententia.

A 4 id

COBAR
eod. Mor
m. III. IV.
F. IV.